

# EPISTULA LEONINA

## CXIV

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM QUARTAM DECIMAM (114) !**

## ARGUMENTA

DE IOHANNE FIDELI.....	04-12
DE BONA MERCATURA.....	13-17
DE MIRO FIDICINE.....	18-20
KATHARINA DOROTHEA VIEHMANN.....	21

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

### ***Cara Lectrix, Care Lector,***

***maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam  
centesimam quartam decimam.***

***Hodie tibi offero tria cimelia Grimmiana, quae inscribuntur: De  
Iohanne fidei (Der treue Johannes) et De bona mercatura (Der gute  
Handel) et De miro fidicine (Der wunderliche Spielmann).***

***Fruere his donusculis aestivis et – carpe diem !***

**Pancraticê vale et perge mihi favere!  
Medullitus Te salutat  
Nicolaus Groß**



**<http://www.leolatinus.com/>**

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
die Saturni, 13. m. Aug., a.2016**



## **CARPE DIEM**

**Tu ne quaesieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi  
finem di dederint, Leuconoe, nec Babylonios  
temptaris numeros. Ut melius quicquid erit pati!  
Seu pluris hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam,  
quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare  
Tyrrhenum, sapias, vina liques et spatio brevi  
spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida  
aetas: **carpe diem**, quam minimum credula postero.**

**HORATIUS Carmen I,11**

# FABELLAE GRIMMIANAE

## DE IOHANNE FIDELI



Aliquando fuit rex senex, qui cum cogitaret ‚nescio an sit lectus, in quo iaceo, mihi funebris’, dixit: ‚Iubeo venire Iohannem fidelem.‘ Iohannes enim fidelis erat rēgis minister omnium dilectissimus. Qui ‚fidelis’ vocabatur, quia rēgi per totam vitam fidem servaverat.

Iohanne ad lectum veniente rex: ‚Iohannes’ inquit ‚fidelissime, cum sentiam me moriturum esse, nulla mihi cura est nisi filii mei: qui cum adhūc sit valdē iuvenis, non semper scit prudenter agere, et tu nisi mihi pollicitus eris te illum omnibus rebus scitu dignis instituturum esse, haud tranquillē claudam oculos meos.‘

Tum Iohannes fidelis respondit: ‚Illum non relinquam illūque fideliter serviam, etsi vitae impendio.‘ Tum rex senex: ‚Ergo moriar tranquillus et solacio firmatus.‘ Perrexit autem loqui: ‚Post mortem meam ostende illi totum castellum, omnia conclavia, oecos, fornices omnesque thesauros, qui ibidem sunt positi: at quoddam conclave ne monstres filio meo: illud, in quod abdita est imago filiae rēgis tecti aurei: Nam eandem si aspexerit, corripietur amore tam vehementi, ut animo relinquatur necnon propter illam incidet in magna pericula;

filium meum tutêris, ne hoc fiat.“ Rex autem, cum Iohannes fidelis iterum sibi hoc pollicitus esset manu porrigens, obticuit, caput pulvîno imposuit, mortem obiit.

Rêge sene sepulto Iohannes fidelis rêgi iuveni ea narravit, quae patri morituro pollicitus erat, et dixit: „Haec diligenter servabo tibi que fidelis ero sicuti illi fui, etsi vitae impendio.“ Luctu finito Iohannes fidelis filio rêgis dixit: „Tempus est te videre hereditatem tuam: Ostendam tibi castellum tui paternum.“ Deinde Iohannes fidelis regem iuvenem circum circa per castellum duxit, huc et illuc, et monstravit ei omnes divitias conclaviaque magnifica: unum illud conclave non aperuit, in quo statuta erat imago illa periculosa. Haec autem imago ita erat statuta, ut ianuâ apertâ quicumque intrans illam puellam aspiceret eademque imago tam magnificê erat fabricata, ut puella in eâdem picta crederetur vivere ipsissima, nec in toto orbe terrarum esse aliqua pulchrior atque amabilior. Regem autem iuvenem cum minimê falleret Iohannem fidelem hanc ianuam semper praeterire: „Cur“ inquit „hanc unam mihi non aperis?“ - „Huic conclavi aliquid inest, quo terrearis“ ille respondit. At rex respondit: „Cum totum castellum reliquum viderim, volo etiam scire, quid insit illi conclavi.“ Quibus verbis factis prodiit, ut ianuam vi aperiret. Tum Iohannes fidelis eum impedivit dicens: „Pollicitus sum patri tuo moribundo me curaturum esse, ne tu videres, quae res inesset huic conclavi: eadem tibi mihi que est magno malo.“ – „Ita non est“ rex iuvenis respondit, „malum mihi eveniet, nisi conclave intravero, nam die noctuque sollicitabor, usque dum videam oculis meis; nunc non discedam, nisi aperueris.“

Tum Iohannes fidelis cum cognosceret malum esse inevitabile animo suppresso valdê gemens e magno fasce clavem exquisivit. Deinde ianuâ conclavis apertâ ipse primus intravit curans, ne rex imaginem videret ante se ipsum: at rex curiosissimus cum esset, summis pedum digitis sistens super umeros Iohannis fidelis in conclave prospexit. Imaginem autem virginis ubi aspectavit magnificam auro fulgentem, statim animo relictus humum collapsus est.

Iohannes fidelis eum sublatum ad lectum portavit sollicitê cogitans: „Eheu malum factum est, Domine Deus, inde quid eveniet!“ Deinde regem vino corroboravit, usque dum resipisceret; prima autem verba a

rêge facta erant: „Heus! Quis est in illâ imagine pulchrâ?“ – „Quae est filia rēgis tecti aurei“ Iohannes fidelis respondit. Tum rex: „Tanto amore“ inquit „illius puellae affectus sum, ut, etsi omnia folia arborum essent linguae, etiam non posset hoc ritê edîci; vitae periculum subibo, ut illam assequar; tibi autem, qui sis Iohannes meus fidelissimus, adiuvandus ero.“

Minister diu deliberabat, quomodo hoc fieri posset, nam sat grave iam erat in conspectum filiae rēgis venire. Tandem cum excogitasset rationem procedendi, rēgi dixit haec: „Omnia quae illa circum se habet, sunt aurea: mensae, sellae, patinae, pocula, catini, omnesque supellectiles: in thesauro tuo sunt quinque tonnae auri, quarum una cura ut adhibeatur ad varia vasa instrumentaque fabricanda, ad varias aves, bestias feras et mirabiles, quibus sumptîs illuc vehamur, ut experiamur fortunam nostram.“

Rex autem iussit omnes aurifices convenire, qui laborarent diu noctuque, usque dum perficerentur res maximê magnificae: Nunc Iohannes fidelis omnia curavit navi imponenda et induit vestimenta mercatoria; rex autem ut idem faceret necesse fuit, ne agnosceretur; deinde trans mare navigaverunt tam diu, usque dum advenirent urbem, in qua habitabat filia rēgis tecti aurei.

Iohannes fidelis rogavit rēgem, ut in nave remaneret se exspectans. „Fortasse“ inquit „mecum afferam filiam rēgis, itaque curate, ut omnia ordinetis, ponite vasa aurea, exornate totam navem.“ Deinde varias ex illis rebus aureis exquisitas imposuit parvo suo encombomati, in terram descendit et castellum rēgium adiit. Cum aulam castelli intraret, prope puteum stabat pulchra puella duas situlas aureas manibus tenens, quibus aquam hauriret. Eadem aquam aureo fulgore fulgentem secum ablatura cum se converteret, aspexit virum alienum eundemque interrogavit, quis esset? Tum ille: „Mercator sum“ respondit aperuitque parvum encomboma, ut puella inspiceret. Tum eadem: „Eia, quam pulchrae res aureae!“ deposuitque situlam, unam post alteram rem aspectans. Deinde puella: „Oportet ut filia rēgis has res videat, haec enim tam vehementer gaudet rebus aureis, ut emat omnes.“ Puella manu porrectâ Iohannem fidelem duxit in castellum, nam eadem fuit cubicularia. Filia rēgis cum mercem auream videret,

laetissima: „Hae res“ inquit, „tam pulchrê fabricatae sunt, ut omnes a te velim emere.“ At Iohannes fidelis: „Famulus tantum sum mercatoris divitis, ea quae hic habeo nihil sunt, si comparaveris cum illis, quae dominus meus habet in nave suâ; illa enim sunt pretiosissima et artificiosissima omnium, quae umquam fabricata sunt auro.“ Filia rēgis voluit curare, ut omnia in castellum afferrentur. Sed Iohannes fidelis dixit: „Hoc fieri non posset nisi per multos dies, et tanta est copia auri, ut pluribus oecis imponenda sit quam magna domus habeat.“ Quibus verbis filia rēgis tantâ est affecta curiositate atque voluptate videndi, ut diceret: „Duc me ad navem, ut aspectem thesauros domini tui.“

Deinde Iohannes fidelis filiam rēgis duxit ad navem valdê laetus; rex autem illâ aspectâ tam vehementer oblectatus est, ut cor sibi videretur dissilire; aegerrimê tantum rēgi contigit, ut animum suum cohiberet excitatissimum. Nunc puella rēgia navem inscendit, a rēge ducta est. Iohannes fidelis autem remansit apud gubernatorem et iussit nautas ancoram solvere: „Tendite omnia vela, ut navis provolet tamquam avis aërem pervolans.“ Rex autem intra puellae ostendit vasa aurea, omnia singillatim, patinas, pocula, catinos, aves feras, bestias mirabiles; sic factum est per multas horas, illa omnes res aspectans maiore erat gaudio quam ut animadverteret navem profectam esse. Ultimam rem auream cum aspectasset, mercatori gratias egit domum itura: ad marginem navis cum perveniret, vidit navem a litore valdê remotam in alto mari versari plenîsque vêlîs propulsari. „Eheu me miseram“ territa clamavit, „decepta sum, abducta a mercatore; mâlim mori!“

At manu puellae tactâ rex: „Mercator“ inquit „non sum, rex sum nec humiliore loco natus quam tu: sed quod per insidias te abduxi, hoc factum est amore nimio. Cum primum vidi imaginem tui, animo relictus humum decidi.“ – Filia rēgis tecti aurei cum haec audivisset, solacio affecta est eiusque animus tam vehementer inclinatus est in rēgem, ut libenter assentiret fieri illius uxorem. At factum est, ut, dum in alto navigant, Iohannes fidelis in prorâ sedens musicam tractans tres aspiceret corvos advolantes: tum desiit canere, ut auscultaret, quid corvi inter se colloquerentur, nam hoc bene intellexit. Unus corvus: „Eia, ille ducit filiam rēgis tecti aurei.“ – „Ita“, alter inquit, „sed nondum habet illam.“ – Tum tertius: „Certê habet, quae sedet in illâ



nave.“ – Deinde primus corvus perrexit crocitare: „Quid hoc prodest illi! Si terram attigerint, in illum prosiliet equus ruboris vulpinei; quem inscendere volet. Si hoc fecerit, equus cum illo aufugiet, ut numquam revideat virginem suam.“ – Tum alter corvus: „Nullane restat via salutis?“ – „Est quidem, si qui alius rapidê equum inscenderit sclopetumque capistris infixum exemerit eiusdemque telo equum perfoderit, rex iuvenis servabitur. At quis hoc scit! Et qui scit illique dicit, lapis fiet a pedum digitis usque ad genua.“ –



Tum alter corvus: „Ego etiam aliquid scio: Etsi equus necatus erit, tamen rex sponsam non retinebit: si iidem in castellum venerint, ibi in aliquâ patinâ posita erit vestis nuptialis confecta, quae speciê est auro



argentoque texta, sed reverâ nihil est nisi sulphur et pix: si rex eandem induerit, comburetur usque ad medullas ossaque.“ Tum tertius corvus: „Nullane restat via salutis?“ „Certê“ secundus respondit. „Si quis chirothecâs indutus camisiam nuptialem comprehensam in ignem iniecerit, ut comburatur, rex servabitur. At – quid proderit! Qui hoc sciverit eique dixerit, eius corpus dimidium fiet lapideum, a genibus usque ad cor.“ – Tum tertius corvus: „Equidem etiam plura scio, etsi vestis nuptialis combusta erit, tamen rex nondum habebit sponsam.“ Nam post nuptias si saltatio incohata erit iuvenisque regina saltabit, subito pallescet et tamquam mortua collabatur: nisi quis eam allevaverit et ex eius mammâ sinistrâ tres guttas sanguinis suxerit easdemque respuerit, sponsa morietur. At si quis hanc rem sciens prodiderit, totum eius corpus fiet lapideum a vertice usque ad digitos pedum.“ Corvi haec inter se collocuti avolaverunt; Iohannes autem fidelis haec omnia bene intellexerat, sed inde erat tacitus atque maestus; nam scivit, si ipse dominum suum celasset a rebus auditis, illum miserum fore, si eidem patefecisset, se ipsum vitâ luiturum esse. Denique intra se: „Dominum meum“ inquit, „servabo, etsi ipse eo pessum ibo.“ –

Nave ad terram applicitâ factum est id, quod corvus praedixerat: equus enim prosiluit magnificus ruboris vulpini. „Eia“ rex inquit, „is me ferat in castellum meum.“ Iam incensurus, sed praeventus est ab Iohanne fideli, qui celeriter equo se iniecit, sclopeto e capistris extracto equum telo perfossum prostravit. Tum ceteri rēgis ministri, qui minimê faverent Iohanni fideli, clamavêre: „O quam infâme est necare pulchram hanc bestiam, cui ferendus fuit rex in castellum suum!“ – Sed rex: „Tacete“ inquit, „sinite eum – qui est Iohannes meus fidelissimus, quis scit, quid hoc prosit!“

Nunc iêrunt in castellum ibique in oeco posita erat patina, cui inerat vestis auro argentoque confecta. Rex iuvenis autem in eam prodiens comprehensurus erat, sed Iohannes fidelis eum semovit, vestem chirothecâs apprehensam ad ignem portavit, ut comburerêtur. At ceteri ministri iterum obmurmuravêrunt dicentes: „Ecce nunc iste comburit ipsam rēgis camisiam nuptialem.“ At rex iuvenis dixit: „Quis scit, quid prosit hoc, sinite eum abire, qui est meus Iohannes fidelissimus.“

Nunc celebratae sunt nuptiae: saltatio est incohata, et sponsa quoque coepit saltare, tum Iohannes fidelis attendit eiusque in vultum inspexit; subito sponsa palluit et in pavementum decidit tamquam mortua. Tum Iohannes fidelis festinanter assiluit, illam allevavit, in conclave portavit, ibi deposuit, genua flexit, ex sponsae mammâ dextrâ suxit tres guttas sanguinis easque exspuit.

Mox sponsa denuo respiravit animo refocillato, sed rex iuvenis viderat ea quae fecerat Iohannes fidelis et cum nesciret, quare ille haec fecisset, irâ incensus vocavit: „Istum conicite in carcerem.“ Postridiê mâne Iohannes fidelis capitis damnatus ad patibulum est ductus, et cum supra staret supplicium subiturus, locutus est: „Omni cui moriendum est, licet ante mortem suam aliquid dicere. Licetne hoc etiam mihi?“ – „Licet“ rex respondit, „habeas tibi“. Tum Iohannes fidelis: „Iniustê damnatus sum, semper fidelis tibi fui“ et narravit, quomodo ipse in mari audivisset colloquium corvorum et decrevisset, ut dominum servaret, ideoque illa omnia sibi facienda fuisse.

Tum rex vocavit: „O mi Iohannes fidelissime, veniam! veniam tibi do! Deducite eum!“

At Iohannes fidelis ultimum verbum locutus decidit mortuus lapis factus.

Hoc autem valdê doluerunt rex atque regina, et rex locutus est: „Eheu, quam malam mercedem dedi fidelissimo!“ et imaginem lapideam curavit allevandam inque cubiculo suo iuxta lectum collocandam. Quandocumque eandem aspectabat, lacrimans dicebat: „Eheu, utinam te redanimare possem, mi Iohannes fidelissime.“

Aliquanto post regina peperit geminos, duos filiolos, qui adolevêrunt, reginaeque gaudio erant.

Aliquando, cum regina esset in ecclesiâ, puerulique apud patrem sedentes luderent, idem denuo imaginem lapideam aspectans magnâ maestitiâ affectus. Gemens vocavit „Eheu, utinam possem te redanimare, mi Iohannes fidelissime“. Tum subito lapis coepit loqui:

„Ita, poteris me redanimare, si in hoc impenderis rem tibi carissimam.“



Tum rex vocavit: „Omnia quae habeo in orbe terrarum, impendam, ut te recuperem.“ At lapis perrexit loqui: „Si tu manu propriâ ambobus tuis filiis capita absçideris, meque illêveris eorum sanguine, mihi vita reddetur.“

Rex cum audiret sibi ipsi necandos esse filios carissimos, sed magnam Iohannis fidelitatem Iohannemque fidelem sui causâ mortuum esse recordatus gladio dstricto propriâ manu puerulorum capita amputavit eorumque sanguine lapidem illêvit: „Haec cum facta essent, Iohannes fidelis redanimatus recens validus stetit ante rêgem. Iohannes autem dixit rêgi: „Mercedem tibi dabo fidelitatis tuae“, capita puerulorum truncîs corporum reposuit, vulnera oblêvit illorum sanguine, quo statim reviviscerent, circumsilirent, ludere pergerent, quasi nihil sibi accidisset. Nunc rex gaudio plenus erat, et reginam advenientem videns Iohannem fidelem filiolosque in magnum armarium abdidit. Uxori intranti dixit: „Orastin’ in ecclesiâ?“ – „Oravi“ illa dixit, „sed semper recordata sum Iohannem fidelem, qui nostri causâ tam miser

factus esset.“ Tum rex: „Cara uxor“ inquit, „possumus Iohanni vitam reddere, sed impendio nostrorum filiolorum, qui nobis erunt sacrificandi.“

Regina expalluit et intimo ex animo territa est, sed: „Illi“ inquit „hoc debemus propter eius magnam fidelitatem.“ Tum rex laetatus est, quod regina sic cogitavit ut is ipse, armario aperto filioliſ fidelique Iohanne exemptis: „Laudetur“ inquit „Deus. Ille redemptus est necnon filiolos recuperavimus“ uxoriſque narravit, quomodo omnia facta essent. Deinde rex et regina et Iohannes fidelis beati vixêrunt usque ad finem suum.

**FINIS**

## DE BONA MERCATURA



Quidam rusticus vaccam suam in mercatum âctam septem thaleris vendiderat. Domum rediens stagnum praeteriturus iam ex remoto audivit ranas coaxantes: „Quat, quat, quat, quat“. – „Ita“ intra se locutus est, „licet clament in agrum avenae: tamen septem thaleros accepi, non quattuor.“ – Cum aquam accessisset, iis acclamavit: „Stultae bestiae estis! Verumne nescitis? Septem thaleri sunt, non quattuor.“ At ranae perrexerunt „quat, quat, quat, quat“ coaxare.

„Nisi credere vultis, ego pecuniam vobis numerabo“. Pecuniâ e sacculo exemptâ septem thaleros numeravit, semper vicenos quaternos grossos pro uno thalero. At ranae rustici calculationem minimê curantes denuo coaxaverunt: „quat, quat, quat, quat“.

„Heus“ rusticus vocavit indignatissimus, „si rem melius scire vultis quam ego, numerate ipsae“, omnes nummos aquae iniciens. Îdem in loco constitit expectans, dum illae numerare desinerent, sibique

pecuniam suam reportarent, sed ranae perseverantes iterum iterumque coaxabant „quat, quat, quat, quat“ nec iam eiecêrunt pecuniam.

Rusticus cum exspectasset diutulê, dum advesperasceret, sibique domum eundum esset, ranas increpuit verbis qualia sunt „vos aquae crepitatores, capitones, qui estis oculis torpidissimis et rostris latissimis, tamque vehementer clamatis, ut aures mihi doleant, sed nescitis numerare septem thaleros, sentitisne me hic staturum esse, dum vos numerare finiatis?“ His dictis abiit, sed ranae post eum coaxabant „quat, quat, quat, quat“, ut domum veniret indignatissimus.

Aliquanto post rusticus iterum mercatus est vaccam; eandem cum mactasset, computavit carnem si vendidisset, se tantam pecuniam accepturum esse, quantâ ambas vaccas êmisset, insuper se habiturum esse pellem. Rusticus carnem secum ferens cum urbem adveniret, ante portam concurrerat integrum agmen caninum, cui praefuit magnus vertragus; qui carnem circumsiliebat et nictulabat et latrabat: „Da, da, da.“

Cum desinere nollet, rusticus: „Bene, sentio te dicere „da, da“, quia aliquid carnis postules, sed non tam ineptus sum, ut tibi dem.“ – Canis autem nihil respondit nisi „Da, da“. „Tun’ promittis te, si acceperis, non devoraturum esse, et eris sponsor pro sociis tuis?“ – „Da, da“ canis dixit. „Si perseveraveris, tibi carnem dabo, bene nôvi te et scio cui servias: sed dico tibi post tres dies necesse fore, ut accipiam pecuniam meam, quam mihi apportes.“

Deinde carnem de carro deposuit et revertit. Canes carnem aggressi altê latrantes: „Da, da, da“. Rusticus, qui hoc audivit e longinquo, intra se locutus est: „Audi, nunc postulant omnes aliquid, sed magnus ille sponsor mihi esse debebit.“

Triduo transacto rusticus „Hodie vespere pecunia inerit sacculo tuo“ intra se cogitavit perquam laetus. At nemo vênit pecuniam solutum. „Nemini licet confidere“ dixit. Tandem patientiâ ruptâ in urbem iit ad lanium, ut pecuniam postularet. Lanius autem opinatus est rusticum iocari; cum autem îdem diceret „ioco remoto volo pecuniam meam: nonne canis ille magnus nudius tertius domum tibi attulit totam vaccam mactatam?“ - Tum lanius irâ incensus manubrio scoparum

comprehenso rusticum foras fugavit. „Exspecta“ rusticus inquit, „adhuc iustitia est in mundo!“, iit in castellum rēgium ibique rogavit, ut audiretur.

Rusticus ad rēgem adductus, qui ibi sedebat unâ cum filiâ et eum interrogavit, quid mali ei accidisset? – „Eheu“ inquit, „ranae canesque mihi abstulērunt rem meam, et lanus mercedem pro eo dedit baculo“ et fusê narravit, quomodo haec facta essent. De hac narratione filia rēgis coepit cachinnare, ut rex rustico diceret: „Ius quidem tibi dare in hac re non possum, sed pro eo tibi dabo filiam meam in matrimonium ducendam, quae cum per totam vitam numquam risisset, modo risit de te, et ego promisi filiam ducendam ei, qui id assequeretur, ut filia mea rideret. Gratias agas Deo pro felicitate tuâ.“ – „O“ rusticus respondit, „quam nolo: domi habeo unam tantum uxorem, et si domum venio, mihi videor spectare in omni angulo domûs aliquam uxorem stantem.“ – Tum rex irâ incensus: „Quia es tantus truncus, aliam mercedem accipias: nunc apage, sed post tres dies revertere, ut tibi quingenta numerentur.“

Rustico per portam eunti dixerunt excubitores: „Quia effecisti, ut filia rēgis rideret, certê bonam mercedem accepisti.“ – „Ita verê“ rusticus respondit „quingenta mihi solventur.“ – Miles: „Audi“ inquit, „da mihi aliquid huius pecuniae. Quid vis facere totâ hac pecuniâ?“ – „Bene“ rusticus dixit. „Quia tantus vir es, accipias ducenta, post tres dies adi regem, ut tibi haec pecunia numeretur.“

Quidam Iudaeus, qui prope stans colloquium audiverat, rusticum secutus eius veste attactâ: „Mi Deus, tu es filius albae gallinae! Thaleros tibi mutabo in nummos minores, quid vis duris thaleris?“ – „Circulator“, rusticus inquit, trecenta restant tibi, statim des mihi monetas, perendie pro iis pecuniam accipies apud regem.“ Iudaeus autem de hôc lucello gavisus summam pecuniae attulit malis grossis, quorum terni aequiperantur bonîs duobus. Triduo transacto rusticus mandato oboediens adiit rēgem. „Exuite eius vestem“ rex dixit, „habeat quingenta“. „Heu“ rusticus inquit, „quae non iam possideo, ducenta donavi excubitoribus, et trecenta mihi in grossos mutavit Iudaeus, iure mihi restat prorsus nihil.“



Tum intraverunt miles et Iudaeus et postulaverunt id quod rustico ut sibi daret persuaserant, et acceperunt plâgas rectê numeratas. Quas miles cum patienter pateretur, Iudaeus aegrê sustinens „Eheu! Vae mihi! Suntne hi thaleri illi duri?“

Rex autem non potuit quin ridêret de rustico, cum autem ira sua deferbuisset: „Quia“ inquit, „iam perdidisti mercedem tuam antequam accepisti, aliud tibi dabo eius loco: Eas in gazophylacium meum, et tantum auri tecum auferas, quantum vis.“

Rusticus autem haec verba sine morâ secutus sacculos suos latos opplevit quantum potuit. Deinde iit in cauponam, ubi pecuniam suam numeravit. Iudaeus autem rusticum subrependo secutus audivit rusticum intra se ipsum loquentem: „Ecce rex iste furcifer me exmuccavit! Quidni ipse mihi dedit pecuniam? Si ita fecisset, ego nunc scirem, quantum habeam. Unde sciam, num ea convenient, quae sacculis imposui!“

„Deus me servet“ Iudaeus intra se locutus „iste contemptim loquitur de domino nostro. Statim eum denuntiabo, ut ego mercedem accipiam, et iste puniatur.“

Rex cum audiret, quid rusticus dixisset, irâ incensus Iudaeo mandavit, ut peccatorem arcesseret. Iudaeus autem ad rusticum cucurrit et „Tu“ inquit „sine morâ ut se adires imperavit rex dominus noster.“ – „Ego melius scio quid deceat“ rusticus respondit, „primo curabo novam vestem faciendam, an sentîs virum, cuius sacculi tantâ pecuniâ sint oppleti, oportet ut rêgem adeat veste detritâ et resartâ?“ Iudaeus qui vidêret rusticum non secum abiturum esse nisi meliore veste indutum, et timeret, ne, cum rêgis ira deferbuisset, ipse perderet mercedem, neve rusticus evaderet impunitus, dixit haec: „Tibi in breve tempus mutuam dabo vestem decoram amicitiae tantum causâ; heu quid homo non facit amore affectus!“ Rusticus autem huic rei oblatae non abnuit, veste Iudaei induto abiit. Rex autem rustico obiecit mala verba, quae eum fecisse Iudaeus denuntiasset. „Ah“ rusticus inquit „quae Iudaeus dicit, semper sunt mendacia, ex eius ore nullum verbum effluit verum; iste furcifer sibi non temperabit, quin dicat me esse suâ veste indutum.“ – „Quid hoc sibi vult? Iudaeus clamavit. „Nonne haec

vestis est mea?“ Nōne tibi mutuam dedi amicitiae causâ, ut tu adire posses rēgem dominum?“

Hīs auditīs rex: „Unum certē fraudavit Iudaeus, aut me aut rusticum’ et curavit, ut eidem solveretur aliquantum pecuniae thaleris duris; rusticus autem bonâ veste indutus bonâque pecuniâ sacculis inditâ domum iit, dicens: „nunc quidem res mihi bene successit.“

**FINIS**

## DE MIRO FIDICINE



Aliquando fuit mirus fidicen, qui silvam peragrabat sôlissimus et assiduê muginabatur et cum nihil restaret, de quo muginaretur, denique intra se locutus est : «In hac silvâ cum laborem molestiâ temporis, mihi arcessam bonum sodalem.» Tum violinâ de dorso sumptâ tam vehementer cecinit, ut cantus sonaret per arbores. Nec mora, lupo quidam per dumetum tolutum advênit. “Heu, venit lupo! Huic non cupio me adiungere” fidicen dixit, sed lupo appropinquans: “Eia, cære fidicen, quam pulchrê canis violinâ! Ego quoque hoc discere volo.” – “Hoc mox disces” fidicen respondit, “si quidem omnia facies, quae tibi dixerò”. “O fidicen” lupo inquit, “tibi oboediam tamquam discipulus magistro.” Fidicen autem eum iussit se comitari, et aliquantum unâ progressi cum essent, advenêrunt vetustam quercum, cuius truncus erat excavatus et medius discissus. «Ecce» fidicen dixit, «si discere vis, quomodo fidibus canas, brancas tuas anteriores imponas huic fissurae». Lupo oboedivit, sed fidicen lapidem celeriter manu sustulit et uno ictu ambas brancas tam vehementer trunco infixit, ut lupo tamquam captivus impediretur, ne abiret. «Exspecta hîc, dum reveniam» fidicen dixit proficiscens.

Aliquanto post îdem iterum intra se dixit : «In hac silvâ cum laborem molestiâ temporis, mihi arcessam alium sodalem» violinâ sumptâ iterum cecinit per silvam. Nec mora, vulpes per arbores subrepens advênit. «Heu, advenit vulpes!» fidicen inquit, «isti quidem non cupio me adiungere». Vulpes autem accedens: «Eia, care fidicen, quam pulchrê canis violinâ! Ego quoque hoc discere volo». “Hoc mox disces” fidicen inquit, “si quidem omnia facies, quae tibi dixero». – «O fidicen» vulpes respondit, «tibi oboediam tamquam discipulus magistro suo.” – “Sequere me” fidicen dixit, et cum aliquantum progressi essent, venerunt ad semitam, cuius in utroque latere erant alta arbusta. Tum fidicen pede constitit, ab uno latere corylum extremam usque ad humum flexam calcavit, deinde ab altero latere alteram corylum extremam deflexam calcavit et: “Agedum, vulpecula, si quid discere vis, cedo brancam sinistram”. Vulpecula oboedivit, ut fidicen eius brancam coryli trunco alligavit sinistro. “Vulpecula” fidicen inquit, “nunc cedo dextram” eandemque trunco alligavit dextro. Tum arbusculae remissae in altum proiectae sunt, ut vulpecula sublata micaret et huc illuc agigaretur. “Exspecta ibi, dum reveniam” fidicen dixit proficiscens.

Denuo intra se locutus est : «In hac silvâ cum laborem molestiâ temporis, mihi arcessam alium sodalem» violinâ sumptâ cecinit, ut per silvam sonaret. Tum assiluit lepusculus. «Heu, venit lepus!» fidicen inquit, «isti nolui me adiungere». – «Eia, care fidicen» lepusculus inquit, «quam pulchrê canis violinâ, hoc ego quoque volo discere». – «Hoc mox disces» fidicen dixit, «si quidem omnia facies, quae tibi dixero». – «O fidicen» lepusculus respondit, «tibi oboediam tamquam discipulus magistro». Aliquantum progressi silvae locum advenerunt quendam lucidum, ubi stabat arbor tremula. Fidicen autem lepusculi collo circumligavit longum spacum, cuius partem extremam arbori infixit. «Agedum, lepuscule, nunc vicies circumsili hanc arborem» fidicen vocavit, necnon lepusculus oboedivit et, cum vicies circumcurrisset, spacum vicies trunco circumvolutus erat, ut lepusculus vinciretur et, quotiescumque huc illuc trahebat, dolenter filo insecaret collum suum molle. «Exspecta ibi, dum reveniam» fidicen dicens iter perrexit.

Lupus interim lapidem presserat et tractaverat et momorderat tamque diu laboraverat, dum brancas solutas e cavo trunco extraheret. Idem furenter iratus fidicinem persecutus, ut dilaceraret. Vulpes cum lupum conspiceret currentem, lamentata maximâ voce clamavit: “Mi frater lupe, adiuva me, fidicen me decepit”. Tum lupus arbusculas detraxit funesque morsu dissecuit, ut vulpes liberaretur; quae eum comitans voluit fidicinem ulcisci. Iidem etiam lepusculum vinctum cum invenissent, liberavêrunt. Deinde omnes unâ adversarium quaesivêrunt.

Fidicini autem, cum iter faciens tertium violinâ cecinisset, res melius successit. Soni enim violinae auscultati sunt a quodam lignario paupere, qui mox, sive noluit sive voluit, laborare desiit et securi brachio subiunctâ accessit, ut modos musicos audiret. “Tandem venit bonus sodalis” fidicen dixit, “nam quaesiveram hominem, non bestias feras.” Tum îdem violinâ cecinit tam pulchrê tamque amabiliter, ut senex pede constaret gaudio effusus et quodammodo fascinatus. At tum lupus et vulpes et lepusculus aggressi sunt. Lignarius illos aliquid mali in animo habere cum animadverteret, fulgidâ securi sublatâ stitit ante fidicinem, quasi diceret: «qui ei aliquid mali facere voluerit, is necesse est ut pugnet mecum». Tum bestiae timore correpti in silvam recurrerunt, sed fidicen, cum iterum cecinisset, ut viro gratias ageret, iter suum perrexit.

**FINIS**



**Katharina Dorothea Viehmann, gentis Pierson (1755-1815)**  
Quae Iacobo & Vilelmo Grimmiis fabellas narravit,  
in *Niederzwehren* vico Hassico habitavit.

**CORRIGENDA**

**EL 113, p.23, incisum 1, lin.12:** duobus operariis usi sunt, uno (*non: unum*), qui interficeret praesidem et altero (*non: alterum*), qui...



## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,90 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,90 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3-938905-28-	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

		9							
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**Youtube SACAPUS ET PRAESTIGIATOR**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM QUARTAM DECIMAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Saturni, 13. m. Aug. a. 2016**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.de/>**